



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXI.

DIE XVII. SEPTEMBRIS.



Oma, a. d. 23. *August.*
Purpuratus *Gualte-*
rius, res *Equitis Ge-*
orgiani, qui nunc *Al-*
bani agit, procuratu-

rus, Pontificem adiit. Heri ex Portugallia cursor accessit, atque regis illius oratorem adiit. *Bissus* Cardinalis equos, iuxta & vehiculum, quo hic ad pompam utebatur, venundari iussit, ut Parisios redire queat eo expeditius. Ferunt, controuersias, quæ Pontificem inter, atque regem Sardinia hucusque viguerunt, tandem, Ducis Parma ministerio, ex sententia partis vtriusque compositum iri.

Venetiis, a. d. 30. *Aug.* Rumor manat, in insula ditionis nostræ, cui *Casso*

nomen, venas argenti repertas esse, iamque eo rem perductam, ut ex 100. minerarum pondo, 40, argenti probe redeant; qua re factum sit, ut munien- dis fodinis hisce, castella, locis oportunis, sint excitata.

Genua, a. d. 23. *Aug.* Nauis quæ- dam, Gadibus ad nos appulsa est, mercibus bene onusta, virosque vehens 125, qui adfirmant tres ibi naues exornari in Hispaniam nouam dimittendas. Piratas vero, Algerianos postquam obseruassent nullas in mari mediterraneo reperiri naues Batauas, quatuor statim suas instruere cœpisse, eo consilio, ut piraticam facere denuo possint.

Parisiis, a. d. 25. *Aug.* Dux Aurelianensis mandata ad *Decanum Sorbone* misit,

misit, ut is omnes, qui collegium illud constituunt, a. d. 18. loco solito, convocaret, quod cum factum fuisset, præter morem, fores conclavis, in quo conuentus istius modi celebrari consueverunt, oppressulatas reperit. Id cum scriptis ad Ducem Aurelianensem literis quæsti fuisset, collegii huius patres, hoc responsi tulerunt; importunam esse eorum querelam, eo quod supremæ Galliarum curiæ, *Parlamentum* vocant, decreta, quæ *Constitutionis* causa promulgata sunt hucusque penſi habere noluerint. Orator Turcarum epistola ad supremum aulæ nostræ interpretem missa, conceptis verbis gratisegit, pro ea humanitatis significatione, qua acceptus est, cum nobiscum esset. Interim ex comitatu eius, multos Christianorum Sacra amplexos esse accepimus. Hodie, diem *S. Ludovici* memoriæ, adeoque nomini regis nostri, sacram, eo maiori solemnitate concelebrauimus, quo insigniora sunt numinis beneficia, quibus regem nostrum cumulauit, maxime eo in morbo, qui eum Calendis August. ex prouiso inuaserat. Longum foret lætitiæ testificationes, quæ sunt editæ, recensere. Imprimis probauerunt se regi ignes festiui nocte concubia accensi, quod eis simulacra virtutis, quam sibi a rege omnes pollicentur, contineri aduertit.

Londini, a. d. 22. Aug. Homo quidam fraudulentus, anulum pretioso distinctum adamante nummulario vendiderat, 500. libris *Sterlingicis*, hoc est, æris nostri 2500. *Imperial.* æstimatum, quem tamen nihil opinante emptore cum alio, qui loco adamantis crystalum Brittenſe habebat, permutauit. Rex noster, nupero die Iouis Curiam intrauerat, & iis, quæ patres decreuerant, confirmatis, curiam vtramque sic allocutus est.

VIRI NOBILISSIMI.

„Quæ semel iterumque in consultatio-
 „nem venerant, tandem aliquando ex-
 „pedita esse, magnopere lætor, & nullo
 „me negotio adductum profiteor, ut
 „post tot tamque graues, quos reipu-
 „blicæ causa sustinuisſis, labores, non-
 „nihil otii & quietis vobis concederem.
 „Tempore, quo primum vos iusseram
 „conuenire, ex desperatissimis Societatis
 „Austri rebus, tantum calamitatis ad
 „nos redundare videbatur, ut illi re-
 „pellendo nos plane impares futuros
 „existimarem. Sed multum consola-
 „tionis mihi adfert hodiernus dies, quo
 „gentis nostræ fidem, quam maiores
 „nostri semper sartam tectamque volue-
 „runt nunc quasi de nouo repullulare
 „conspicio, id quod mihi spem facit
 „haud dubiam, fore, ut ea proximo
 „quoque tempore lætius reuireſcat,
 „dummodo vos propositi tenaces, se-
 „dulo perfeceritis, quæ boni publici
 „causa recte & laudabiliter sanciuistis.
 „Quemadmodum autem non sine ma-
 „gno dolore illorum reminiscor, qui
 „nulla sua culpa, nihilque tale prome-
 „riti, in grauissimas inciderunt ærum-
 „nas atque miserias; ita, me illis valde
 „irasci, fateor, qui eiusmodi turbarum,
 „quibus res publica adfligitur, auctores
 „extiterunt. Hæc enim causa fuit,
 „quamobrem rata protinus habui, quæ-
 „cunque e publica re futura censuistis,
 „ut auctores malorum nostrorum dignis
 „coërcerentur pœnis, illorum autem
 „precibus, quibus subuenire fas est, ali-
 „qua ex parte fieret satis. Ut etiam ii,
 „qui, nescio, quo prauo animi acti im-
 „petu, leges euertere, & perfringere
 „studuerunt, de propensa in gentem me-
 „am voluntate, certiores esse queant,
 „so-

„solemne obliuionis decretum promul-
„go, vt me, quibuscunque rebus pos-
„sim, publicæ tranquillitati & saluti ci-
„uium meorum consuluisse, omnes in-
telligant.

VIRI NOBILES.

„Magnas vobis ago habeoque gratias,
„propterea, quod de impensis hoc anno
„faciendis consilia grauiter conferre, &
„providere simul voluistis, vt satis fieret
„pactionibus, quas pacis in Septentrio-
„ne caussa, cum aliis fecimus. Vestra
„erga me patriamque fides, documen-
„tum erit ciuibus iuxta atque exteris
„populis, quod pro eo, ac decet, Bri-
„tannorum gentis dignitatem ac decus
„promte strenueque adserueritis. Nolo
„vos etiam ignorare VIRI NOBILISSI-
„MI, renouasse me ac restaurasse, pacta
„& conuenta, quæ nobis, ante quam
„funestum olim bellum oriretur, com-
„merciorum caussa, cum Hispanis in-
„tercessisse meministis. Et quoniam
„bonorum iactura, quam aliqui his mi-
„seris temporibus fecerunt, irreparabi-
„lis, tot detestandis libellis, qui huc-
„usque in vulgus exierunt, turpissimam
„calumniandi præbuit materiam, vestra
„prudencia fretus, pro se quemlibet
„vehementer adlaboraturum arbitror,
„vt turbulentorum eiusmodi hominum
„impetus coerceretur, & in prouinciis
„quas curæ fideique vestræ commisimus
„omnia pacata & tranquilla relin-
„quantur. Posteaque consultationes
„illas ad 30. vsque Octobris distulit.
Orator regis Daniæ, certiore fecit
regem nostrum de matrimonio,
quod princeps, in spem regni Da-
niæ natus, cum *Sophia Magdalena*
Culmbacensi principe nuper in Saxonia
iniit: iamque in eo est idem orator, vt

conuiuio solemniproceres aulæ, iuxta
& exterorum principum Legatos, acci-
pere queat. Alioquin cursor in Sue-
ciam his diebus denuo missus est.

Hagæ Comitum, a. d. 26. Aug. Fama
quidem erat, Philippum Hispaniæ re-
gem, cedere velle regionibus, quas
Romanorum Imperator, ab Hispania
diuulsas, adhuc hæreditario iure possi-
det; attamen cursorem, ante dies non
ita multos, Mantua Carpetanorum,
Parisios missum, nihil ea de re secum
adtulisse ferunt, neque plus eum ha-
buisse in mandatis, quam vt regi Gallo-
rum confirmaret, quæ nuper inter Ma-
gnæ Britanniæ atque Hispaniæ reges
conuenerunt, firmaque haberi. Id ta-
men certum est, Gallos in eo esse totos
vt persuadeant Philippo, vt proceres
regni conuocet, illisque consentibus,
prouinciis, quas iam tenet Imperator,
solemniter cedat. Vt autem Philip-
pum non minus, quam ipsos etiam pro-
ceres, eo facilius ad id adducere possit
rex Galliarum, *Fontem rapidum, Sebastia-*
nopolim, aliaque castella, nupero bello
capta, se Hispanis redditorum pollice-
tur. Nec dubitant aliqui, Philippum
hac ratione adductum iri, vt titulo &
insignibus illarum regionum abstineat.

Hagæ, a. d. 27. Aug. Proceres Hol-
landiæ & Frisiæ orientalis conuentum
denuo celebrarunt. *Monteleonius Mar-*
chio, Philippi apud nos Legatus, a. d.
25. Aug. plerosque procerum & legato-
rum epulis excepit lautissimis, eo quod
ea die, quippe Ludouico sacra, dum
natalem principis *Asturiæ*, annum ætatis
15. ingressi concelebrauit. *Bassecour-*
tius, Bruxellis iam rediit, deque rebus,
quas illic gessit, proceres certiores
fecit.

Lipsiæ, a. d. 2. Sept. Litteris Tepli-
cio missis nuntiatur, Augustum regem,

qui fanitatis curandæ caussa in thermis illis moratur, lauationis dies, ex præscripto Medicorum postridie finitum esse, atque perendie statim *Austam** profecturum, vt inde secundo Albi Pillnitzium vsque naui possit vehi atque hinc ad nos redire. Holmia scribitur, pacem cum Russis compositam tandem omnino esse, sed conditiones eius quæ sint, summo studio adhuc celeri; id tamen adfirmant aliqui, nihil in eis esse, quod ad Holsatiæ Ducem quoquo modo pertineat, id quod & Petropyrgenses litteræ confirmant.

* *Auffig.*

Varfchauia, a. d. 29. Aug. Ex Saxonia accepimus, regem præfecturas vacuefactas haud esse collaturum aut promissurum] cuiquam, ante suum ad nos reditum. Speramus autem, eum, vel ad urbem nostram vel *Gynæcopolin*, sub initium mensis Octobris accessurum. Rumor, qui nuper ad nos de apparatu bellico, *Choczimum* a Turcis destinato, perlatus erat haud fuit inanis, ad diem enim 12. huius, tormenta grandiora, XII. quibus globi pondo 48. graues displodi solent, & VIII. minora, cum duobus mortariis atque bis mille pyrobolis, eodem iam sunt allata; quin & alia tormenta 60. propediem aduectum iri, ferunt.

Dresda, a. d. 2. Sept. Nudius tertius nauigia duo tormentis aliquot ornata *Austam* hinc sunt dimissa, vt iisdem rex Augustus, quem ex thermis Tepliciensibus propediem expectamus, cum vniuerso quem apud se habet comitatu, queat vti *Flemmingius Comes*, idemque summus exercitus regii præfectus, Berolino, nudius ab hinc quartus ad nos

accessit, latus eius stipante, Nobilissimo Zechio, consilio regis aulico. Hesternadie, omnes, qui regis Consiliorum sunt conscii, ad colloquium conuenerant, inque eo diutius paullo fuerunt; sed quid in consultationem venerit, nondum patet.

Vratislauia, a. d. 8. Sept. Superiori Iouis die, hora matutina decima, Nuntius Pontificis, qui Varfauia iam ab aliquo tempore fuit, commoratus, ad urbem nostram accessit, in Saxoniam hinc profecturus, vt Augusto Polonorum regi, vltimum dicere possit vale, atque dein Viennam iter suum institueret.

Vienna, a. d. 10. Sept. Proxime præterlapso die Saturni, natalis Annæ Reginae Portugallia, in Aula tum Imperatoris, tum etiam Viduæ Iosephi, solemniter fuit celebratus. Qua de causa omnes Aulici, exterorumque Principum Legati ad Emanuelem Infantem Portugallia, qui hic est adierunt eique verbis conceptissimis congratulando pietatem suam testati sunt, quorum ille plurimos lautissimis excepit epulis.

Posoni, a. d. 17. Septemb. Litteris Vienna extra ordinem missis, docemur, fortium illos lusum, quorum sæpe meminimus, a. d. 15. cœpisse iam, dieque statim prima, forticulam omnium lucrosissimam, quippe 10000. florenorum habentem, sub epigraphe: *Tapferkeit*, hoc est: *Fortitudo*, eductam esse. Secutas mox plures fuisse post sex hebdomadas possessoribus ex aße dissolendas. Ceteroquin tempestas apud nos viti iniqua iterum esse cœpit.